



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)



LECTORI.



HABES, studiose Lector, Librum, nec de amicorum precibus stolidè nec de Superiorum obedientia superbe cufum. Multum enim artificiosa diffidentia de scriptis confidunt suis, qui eis pro bono publico euulgandis, non attentam modo, sed & intentam obedientiam profitentur. Nec satis cordatè tantum amicis tribuitur, vt eorum precibus in publicum detur, quod luce indignum iudicatur. Cum enim amicorum preces cartham non emendent: qui eis solummodo victi; scripta euulgant sua amicorum rogatu; & se & illos diffamasse testantur. Quid ni mentiantur, stolidius?

Nos igitur (quibus, nec tantus ingenij fastus, vt ad huius nostræ opellæ euulgationem superiorum speraremus præcepta: nec tantus nostræ famæ neglectus, mentisve stupor, vt sacris amicitiae aris, & nostræ, & amicorum ignominia litandum putaremus: nec tanta in veritatem irreuerentia, vt lectorum beneuolentiam mendacio captare animus esset) labores hosce prælo, aliorumque iudicio subdere animo concepimus, quia, nec profusus, & nobis indignos, & lectoribus inutiles fore iudicauimus. Obfirmauerunt animum iudicij huius nouem annis (quos totus de Horatiano illo notissimo: *Nonum con-* Horatius in arte Poetica *datur fit annis,* operi emedando, ac perficiendo impendimus) sentata sæpe, ac poties repetita constantia: cum iam nouitate opus frigesceret, quiescerent recentis cogitatus pruritus, ac proprii adiuuenti illecebræ, lenociniaque declinassent: Sapientium insuper hominum, quorum doctrinam in pretiis habebamus, non precabunda quidem, sed nec precaria suffragia: demum superiorum, quos ænes, & nostri, & religionis famæ cura erat, nullis artibus extorta cudendi facultas. Atque hæc quidem omnibus ad lucubrationes cordatè edendas scriptoribus satis facere; transcriptoribus autem diuturna nostra meditatio superest, nisi ad laboris supputationem veniat studium alienum. In opere moliendo, perficiendoque solius veri indagandi viguit amor: simplici ingenueque veritatis studium exarsit. Nec libro incubui, calamumve arripui, quin Deum, luminum Patrem, totiusque sapientiæ auctorem veritatis lucem enixe orassem. Syncero huic veritatis amori, qui *talibus hostis*, qua veritas est, *promouetur Deus*, annuit fortasse; non nouitatis, & dicendi, quæ ex prisca sapientibus dixerit nemo studio facillimo: cum nihil sapientibus dictu longius sit, quam, quod ineptius, atque à ratione sanè remotius est, & nouitatis studiosis propinquius. Neque verò censerè ex illis velim, qui nouitatis prætextu difficiles se præbent veritati. Ex nouis enim vetera, non autem ex falsis vera temporum fieri tractu possunt. Cumque vetus nihil inueniatur, quod prius non, quam post modum exiit, nouitatem induerit: verendum quidem est, ne dum nimio antiquitatis amore nouitatem refellimus improbemus, quæ ex ipsa nascitur, vetustatem. Non ergo eo solum nomine despiciendæ sententiæ, quod iuniores, prætextatæ que sint; si tamen eis fundamentis nitantur, vt quam pueritiæ vestem acceperè, fecerint triumphi. Et nos igitur aliquid inferenda sententiæ audere possumus primi: ita vero, vt iure non videamur fore postremi. Veterum itaque opinioniones nouis, nouitiisque rationibus tentandæ sunt: vt appareat demum, suæ, quod tandiu steterint, debeant firmitati? An nostræ desidiæ? Non tamen, nisi urgente ratione, ab eis abscedendum. Nouimus enim quid primis debeat, quid canis sententiæ: multumque differre mouerit Theologiam Doctor, an promouerit? deirco odi pessime eorum genium, an morem? Qui ex contentione cum magnis viris, præferunt antiquioribus suscepta gloriam captant: cum sint ipsi per se inglorij: nihilque in aciem disputationis afferant præter aduersandi studium viribus destitutum, cor audacia, & petulantia agnatum, rationem profusus inermem, longeque imparem ausibus conatum. Inde

Horatius in arte Poetica

Ad Hebr. 13. num. 6.

Pueritia, & triumphus apud Romanos in prætexta agebantur.



illis in aliarum à suis opinionum auctores ad manum d. & acria, atque ad calamum censuram profuua, quibus plurimum sæculi huiusce scriptorum exundant carthæ: dum ferro sibi cum scriptoribus aliis agendum putant, eaque omnino prælo paranda, quæ prælio inferi, haud dubio politioris sæculi, ubi calamus pro stylo est. Nobis autem, & priscos Doctores (quorum scilicet lucubrationibus, ea etiam debemus, quibus illos quandoque impugnamus) reuereri, alienasque sententias honorare amor semper fuit. Ideo fere omnes Scholasticorum opiniones grauib. censuris ab aliis notatas (sunt autem in rebus hisce quamplures) ex assenta genuina, ac sincera testimoniorum, quibus damnari videbantur, interpretatione ab eiusmodi notis vindicamus, vt propria cuiusque sede ostendamus. Nec nisi in vnam, vel alteram censuris inuehimur: grauem doctrinamque Gabrielis Vasquez modestiam secuti, qui, vt Theologis reliquis eruditior, eo fuit in aliorum sententiis notandis moderatior: nimirum facto hoc suo ostendens frequentes alienarum opinionum censores minus eruditos esse oportere. Sic Videas Theologastros vulgares, quæ, ne vnus quidem, Patris librum, nisi forte ex inscriptione, norunt, solumque vnum, vel alterum truncatum Scripturæ testimonium è sudata carthula, ignotique lectoris codiculo, sono tenuis, atque in fide, vt aiunt, parentum, didicerunt, sub ignorantia suæ noctem animose Doctoribus aliis grauib. oblatrare censuris. Sed vero nocturnos canum latratus non animostratis effectum esse, sed metus iam pridem docebat Aristoteles. Quoad operis huius materiam attingit ex his omnibus, quæ de Trinitate, & incarnatione hætenus à Patribus, & scholasticis obitor adhuc, vel sunt disputata, vel dicta, per otium disputatis constat: vt qui integrum legat, nullum ex priscis siue scholasticis, siue controversistis, aliud de rebus hisce iure desideret: ne illud quidem ingens, atque eximium nostri Didaci Ruiz de Montoya: ex quo, ne vnum fere, testimonium omisimus: licet grauioribus, ac difficilioribus nostras, & textui, & intento Patrum fortasse accommodatiores interpretationes subiiciamus. Neque tamen: quam possem multis prælum grauari: gnarus firmiter corporum esse d. gerere omnia, nec, si in rudiora incidant alimenta, egerere pauca. Non enim eos, qui struunt, vt artifices commendes, sed, qui construunt: lima denique, aut ferramentum quodpiam non pollet, quin detrahat: vt quantum materiz perdit augeat splendoris. Quoad methodum spectat in tot exami. adis difficultatibus id in primis curauit, vt nihil implexum, complexum, æquiuocum ve, sed simplex categoricum, præmissaque quæstionibus singulis tituli explicatione dilucidum, & vniuocum proponerem: ne opinionum amphibologiis, ac difficultatum subterfugis locus superesset vllus: sed bonis potius, quæ fuerint, decisionibus lectoris animus quiesceret; malis vero decipi non posset: mallet enim, quam apertè non intelligi, apertè conuinci. Earum item difficultatum, ex quibus aliarum decisio, vel exacta pender intelligencia, examen præcedit: ne pluribus mens simul intenderet, anxie pendula circa conclusionis firmitatem hæsitaret, vel tandem, magnam partem, sententias nostras crederet, quæ sciret. Idcirco exactam de substantia disputationem totius operis, in quo frequens de illa sermo necessariò futurus proœmium fecimus. Aliorum opiniones seorsim proponimus expendimus, atque à fundamentis fideliter, qua potuimus, relatis impetimus: nec malas eorum solutiones fingimus, vt bene impugnemus; imò eis tuendis de nostro sepe nonnulla subiicimus. Multa ibi ad res hæce argumentum leges: atque ad alias Philosophicas, & Theologicas disputationes semina non pauca. Eis vero, qui nostram solum doctrinam, vel nosse adæant, vel defendere, seorsim etiam certaminibus quæstionis cuiusque postremis posuimus fundatam, atque ab oppositionibus adscrtam. Quoad scribendi ingenuitatem: nihil, quod alterius, etiam ignoti Recentior Plinius aiebat) ac plene pudoris animi est, fateri per quos profeceris. Nec video cur eum pigeat, qui deplorati prorsus ingenij non sit, proprios sententiarum parentes aperire. An quæ vberè, atque eleganti cingitur prole alterius premar fecunditatem? Procul illi pudoris, liuorisque causæ, qui bonos, vel comitari, vel anteire sperat, meliores sequi. Si de doctrinæ nostræ schola dubitas, omnium discipulus sum, nullius iuratus, nisi vero similioris: ac enim, si qua, ad veritatem, quo tendimus, ibitur. Equè deo nostros, atque externos, ubi mihi recedere à verosimiliori visi sunt, impugno, æquè item extraneos, ac proprios, cum propius ad verum accessisse videntur, lubens Magistros sequor. Vna siquidem mihi, dum scribo, religio cum illis omnibus est, qui vbiuis veritatem profitentur. Philosophiam, Theologiam, vt par est, ancillari feci non inuitam: Sponte enim sua philosophia nostra ad fidei, & Theologiæ dogmata venit. Quo effectum est, vt in tantis, tamque abditis mysteriis ratio, nec horreat, nec hæreat: neque; vt in nonnullis scriptis deprehendi, quidquid

Plin. in
 proœm.
 histor. nat.

quidquid legitur credendum sit : pluribusque mysteriis mentem discursus theologicus onerent, quam fides ipsa, quam explicant : quasi in mysteriis ipsis pauca haberet homo, quæ crederet. Curauimus igitur, ut Philosophia mysteriorum difficultates non augeat, sed euacuet: fidemque non obscuret, sed illustret: mutuoque fenore maiorem firmitatem, autoritatemque recipiat ex certis illis quibus explicandis, confirmandisque concordat. Sed verò disputationes Theologicas iam pridem ab effœminatis, & mollibus philosophicis argutiis ad Theologicum robur attendita, atque indefessa Scripturæ, Patrum, & Conciliorum Lectione, acrique iudicio à nostro Gabriele Vasquez; primum, deinde à Didaco Ruiz reuocatas, atque iterum (proh dolor!) Sophisticis argumentatiunculis, paucisque, & perfunctoriè expensis testimoniis Patrum ab aliis in alios, quasi per manus, nullo discrimine datis nulloque examine acceptis susque deque agitata serua, distentaque Patrum, & Conciliorum meditatione, atque interpretatione solidè, ac viriliter transigimus. Sed sciscitemus cur secundum tunc Theologiæ nostræ tomum non suo loco ædamus post primum Concilium crede, non casum. Antiquior Tomi primi labor est, uti ex principiis Theologicis, quibus hoc vitur tomo, facillè patebit : secretiori tamen repositus loco, quam vnde fures effodiant, & furentur; huius verò toni controuersia publice à Cathedra dictata: & in quibus edendis ab aliis, qui plus iusto, & libito nostro alienas cogitationes prælis honorant, possemus præueniri. De muni Lectorum in studendo facultati, voluptati, utilitatique consulentes, præter hanc præfatiunculam, totius operis, & rationem, & compendiarium indicem his, qui ex prologo solùm discere amant, accommodatissimum, quinque alios adiecimus Primum controuersiarum, Disputationum, Quæstionum, Certaminum, & conclusionum. Secundum testimoniorum scripturæ, quæ, vel obiter, vel ex professo explicantur. Tertium rerum, & verborum. Quartum eorum quæ aliis, siue Philosophicis, siue Theologicis disputationibus inseruire possunt. Quintum inconsequentiarum, quas in aliorum doctrinis variis deprehendimus: quo facillè quibus contra cuiusvis scholæ sectarios ad hominem valeat arguere nulloque labore in thesibus, siue propugnandis siue oppugnandis inconsequentias noter, ut euitet; vel impugnet, vel certè earum coherentiam melius nobis inueniat. Hæc habui (studiose Lector) quæ tibi offerrem, ac publica, ut opto, fidei horum mysteriorum, Ecclesiæque utilitati impenderem forte non assecutus. Tamen non erit illaudata voluntas Præsertim, cum quidquid in rebus tantis errauerit mens, & meliori tuo, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ certissimo iudicio, correctionique submittat. Vale, & vsque. Vale.

Imprimatur in Paderbornensi Scholæ Cathedræ R. P. Augustini de Castro
M. S. R. P. Paderbornensis, Michaelis Paderb. Josephus Paderb. Diego Jella
Die 15. Martii 1717. Josephus Garino, Garino de R. Paderbornensi, Martinus de
Paderbornensi, Augustinus Mandel, Josephus Mandel, Diego de Fuentes
M. S. R. P. Paderbornensis, Anthonio Paderb. Ambrosio de Paderb.

R. P. Christoph. de Ortega de Trinit.

5 2

CENSURA